



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

fit, quacunq; ex causa seu delicto agatur, etiam alibi commisso. *L. 2. §. Legatis L. 24. & 26. ff. de jud: exceptis Legatis evocatis, judicandi aut testimonii dicendi gratia.* Item qui appellandi, tutelæ reddendæ, petendæ restitutionis in integrum causa, aut in negotiis Ecclesiæ suæ, Romam venerunt: his enim nisi periculum in mora sit; jus litem revocandi domum suam datum est, ad forum nempè domicilii, ubi melius instructi sunt; *cit. cap. ult. cit. L. 2. §. Legatis, & L. 8. 24. 25. & seq. ff. eodem.* Unde hæc revocatio dicitur exceptio fori declinatoria ratione personarum.

3. Origo in ea cuiq; civitate domicilium tribuit, in qua Pater oriundus est, vel in qua quis à Matre non transeunte tantum, aut ad breve tempus commorante, (si alibi domicilium fixum habuit) sed in habitante natus est *L. Cives. 7. C. de incolis lib. 10. L. assumptio 6. §. 1. L. 11. §. Patris, & §. in adoptiva. ff. ad municip.* Et licet migraverit originarius, constituto alibi lare; in loco tamen originis si reperiatur, conveniri potest. *L. incola 29. ff. ad municip: L. pen: C. de incol, Gail: lib. 2. obs: 36. contra Menoch:*

§. presump. 42. n. 5. Verum licet domici-
 lium originis conferat diversos effectus,
 ut ad Ordines suscipiendos ab Episcopo
 originis, non minus quàm ab Episcopo
 beneficii aut domicilii, attamen in ordine
 ad jurisdictionem acquirendam, quàm
 maximè spectantur domiciliū habitatio-
 nis, aut beneficii residentiam postulantis
 quod sua cuique voluntas domicilium fa-
 cit, ubi larem, rerumq; suarum fortunam
 constituit, *L. Cives. 7. de incolis.* Ratio: quia
 hoc absolutè jurisdictioni hominem sub-
 jicit: at verò domicilium originis secun-
 dum quid, ut scilicet conveniri possit ibi
 duntaxat si in loco præsens sit ut docet
Barth. incit. L. assumptio. Quin imo testa-
 tur *Gail. lib. 1. obs. 36.* in Germaniâ nostrâ
 per arbitratoriam domicilii mutationem
 amitti jura originalia, tum quoad mune-
 ra, & præstationes, tum quoad jurisdic-
 ctionem, adeò, ut in quibusdam civitati-
 bus ob hanc liberationem, quidpiam se-
 cundum bonorum æstimationem pensan-
 dum fit. *L. domicilium. 20. ff. ad municip.*

4. Si petas prærogativam domicilii habi-
 tationis in quo sistat? *Dico* in duobus po-
 tiff